

§. 255.

Hoc, quod demonstraui de signis in genere
 §. 251 — 254, valet quoque de signis allegatis
 §. 249. Qua de re Medicus in eo caute
 et circumspecte agere, nec iis signis promi-
 scue in formulis vti debet, nisi certus sit, ea
 praeparanti medicamentum ad formulam esse
 nota. Eum praeterea signa, si quibus vti ve-
 lit, distincte exprimere debere, vt praeparans
 medicamentum illa cognoscere possit, facile
 patet.

Quae
 Medico
 circa
 signa
 §. 249.
 sint ob-
 seruan-
 da.

SECTIO VII.

DE

QUALITATIBVS FORMVLAE
ACCIDENTALIBVS.

§. 256.

Nec est necessarium, nec ad formulae es-
 sentiam pertinet, vt ea in chartula scri-
 batur §. 241. Qua de re qualitates, quae for-
 mulae, respectu modi illam scribendi, compe-
 tunt, non erunt necessariae, sed accidentales
 tantum. Quoniam vero more est receptum,
 et plerumque fieri solet, vt formula schedulae
 inscribatur, qualitates quoque accidentales,
 quae ipsi hoc respectu propriae sunt, nosse de-
 bet Medicus formulam praescripturus, ne
 morem, qui hac in re obseruatur, vel igno-
 rasse, vel neglexisse videatur.

De qua-
 litatibus
 formu-
 lae acci-
 dentali-
 bus in
 genere.

(Pars I. de form. in gen.) I §. 257.

§. 257.

De in-
scriptio-
ne for-
mulae.

Pertinet vero ad qualitates formulae acci-
dentales *inscriptio*, quae in fronte chartae,
cui formula inscribitur, poni, et signo quo-
dam pium votum indicare solet. Variat vero
pro arbitrio Medici, et quisque hanc vel il-
lam sibi fingere et usurpare potest. Alii vtun-
tur hac: †, alii ista: G. D., alii sic scribunt
in fronte formulae: I D. vel, quod magis
est vsitatum, ‡ et $\frac{\alpha}{\omega}$. A multis omittitur,
nec sine peccato.

§. 258.

De ini-
tio for-
mulae.

Formulae initium, quod eius inscriptione
magis est vsitatum, nota: Rec. vel R $\mathfrak{x}$, quod
significat: recipe, designari solet, quo veluti
iubetur pharmacopoeus, ea, quae sequuntur,
accipere. Vocabulum latinum barbarum, re-
cepta, et germanicum *Recept*, inde habet
suam originem.

§. 259.

De ordi-
ne, quo
ingre-
dientia
scribun-
tur.

Ordo, quo formulae ingredientia scri-
buntur, pariter est referendus ad qualitates eius
accidentales. Varius enim est in variis for-
mularum speciebus, nec in vna eademque for-
mulae specie vnus idemque obseruatur. In
genere tamen est notandum, primo, quod
quoduis singulare ingrediens in singulari scribi
soleat linea, nec duo vel tria continuo iuxta
se mutuo ponantur. Sic scribi non solet:

R $\mathfrak{x}$

R lap. $\odot$. ppt. C. C. vft. $\ddagger$ ii diaph. aa 3j.
 flor. $\ddagger$ r. 3ß. M. F. puluis, sed ita:

R Lap. $\odot$. ppt.

C. C. vft

$\ddagger$ ii diaph. aa 3j.

flor. $\ddagger$ ris 3ß.

M. F. puluis.

Deinde ingredientia eiusdem speciei sibi mutuo proxime subiungi solent, vt radix radici, herba herbae, aqua aquae etc. Tum specie diuersa iuxta quantitatem, qua recipiuntur, plerumque in scribendo collocantur, ita, vt ista, quae maiori praescribuntur quantitate, reliquis praeponantur, nullo habito ad basin respectu, num scilicet primo, an alio loco ponatur. Sic v. g. in potionibus, electuariis et bolis, aquae et conferuae, quae tanquam excipientia maiori dosi praescribuntur, primum occupant locum. In emplastris autem et morsulis excipientia reliquis postponuntur. Alias *basis* primum tenet locum, alterum *adiuuans*, tertium *corrigen*s, postremum *constituens*. Denique hoc est notandum, quod ea, quae praescribuntur quantitate non definita, vel ex reliquorum saltem ingredientium quantitate definienda, fere vltimum semper occupent locum. Dantur interea harum regularum exceptiones postea indicandae.

§. 260.

De mo-
do scri-
bendi
ingre-
dientia
nominis
commu-
nis.

Si plura eiusdem speciei ingredientia, vti dictum est §. 259, sibi mutuo proxime subiunguntur, primo tantum nomen speciei omnibus commune praefigitur, reliquorum vero nomina tantum propria deinceps sub nomine proprio primi ita collocantur, vt cuius singularis detur linea. Sic scribi non solet:

R^x rad. chinae

rad. sassap.

rad. scorzon. aa $\overline{\text{z}}$ ß, sed ita:

R^x rad. chinae

sassapar.

scorzon. aa $\overline{\text{z}}$ ß.

Hoc igitur quomodo in reliquis formularum speciebus sit adplicandum, facile est conceptu.

§. 261.

Quae-
nam
porro
Medico
scribenti
formu-
lam sint
obser-
vanda.

Porro Medicus distinde scribat, neque negligenter literas pingat, vtpote ex quo, pharmacopoeo scriptionem non intelligente, et aliud pro designato minus vtile vel plane noxium substituente, magnum, vti experientia docet, aegro conciliari potest damnum. Nec peccet contra orthographiam, ne se pharmacopoei aliorumque ludibrio exponat, atque inconditum scriptionis excessum vitet.

SECTIO